


per similitudinem regulæ DE usq; ad apicem turris A, sit GE A, dico spatium inter regulam minorẽ & radicem turris, nempe BF, addita quantitate reg. minoris esse equale turri metiendę. Demonstratio ex sequentibus

pater. Ducatur enim à puncto G, per 31. primi parallela ad BC, quę per 21. ad AB erit perpendicularis, ipsamque secabit in L, quemadmodũ & regulam DE in H, erit ergo per 33. primi HG equalis HE & LG æqualis BF. Cum igitur HE per 29. primi, sit



parallela AB, erunt per eandem 2. triangula ALG & EHG, equiangula: ergo per 4. sextilatera equis angulis subtensa proportionalia. Sicut ergo HG erit ad GL, ita HE ad LH, & permutando proportionales per 16. quinti, sicut HG erit ad HE, ita GL & ei equalis BF ad LA; sed HG est equalis HE, igitur & BF equabitur LA, & LB per 33. primi erit equalis FG. Tota igitur AB equatur BF, & FG simul sumptis, hoc est, spatium inter lineam minorem, una cum regula minori, ipsi turri.

ALTITVDINEM QVAMVIS PER RADIVM A speculo reflexum perquirere. Propos. IIII.

Posito speculo in plano, tantum recede ab eo erectus, vel accede dum in centro speculi conspicias cacumen turris; tunc sicut se habet statura tua, quę est ab oculo ad terram, ad intervalum, quod est inter te & centrum speculi; ita se habebit altitudo proposita ad spatium quod est inter centrum speculi & turrim. Vt si statura tua v. g. sit 5. pedum; spatium inter te & speculum sit 10. pedum: distantia speculi à turri sit 15. pedum, erit altitudo turris 25. pedum.

Demonstratio eadem est quę præcedentium. Duo enim trian-

G angula